



Iacobus natus est Basileæ honestis parentibus Anno circiter millesimo quadringentesimo septuagesimo. Is à pueris uirtutibus operam dedit, atq; mercaturam exercendo exteras nationes accessit, & magnam rerum prudentiam sibi comparauit. huc accedebat & uitæ integritas, mirabilisq; rerum perficiendarum industria. Id cum Basiliensis Respublica cognouisset, eum in senatum legit, & res uarias in Heluetiorum comitijs expedire iussit. Ibi cum eius industria magis eluceret, communi senatorum suffragio Tribunus plebis eligitur, qui post consulatum in ea urbe summus magistratus existit. Eam functionem is magna animi

moderatione gessit, atque anno millesimo quingentesimo uigesimo quinto, cum passim rusticorum turba insaniret, sua prudētia effecit, ne quis maior tumultus in agro Basiliensi à subditis excitaretur. Cum etiam ipse esset pietatis amantissimus, atque Euangelij doctrina paulatim in eam urbem irreperet Iacobus eam ante alios magnæ authoritatis uiros intellexit, & cæteris author fuit, ut anno millesimo quingentesimo uigesimo nono religionis fieret mutatio, atq; publica Euangelij cōfessio. Itaq; statim eodem anno Basiliensis reipublicæ Consul electus est. Eam dignitatem is magna animi constantia suscepit, & ad finem uitæ usq; alternis annis pro more continuauit.